

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5371

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1297, 26 janvier

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Emma, veuve de Raoul Rainfroy et épouse de Firmin Boulemeir, vend pour quinze sous tournois à Julien de Zancate, chanoine de Coutances, les biens situés à Cambernon qu'elle tenait de son premier mari.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 127, p. 252-253.

Dissertation critique

v. st.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris officialis [Constantiensis], salutem in Domino. Noveritis quod, presentibus in jure coram nobis Emma, relicta [Radulphi] Rainfredi nunc uxore Firmini Boulemeir, eodemque Firmino [de] parrochia de Bella Valle, cum auctoritate ipsius Firmini ad hoc eidem uxori prestita coram nobis, eadem Emma quitavit spontanee et omnino dimisit viro venerabili et discreto Juliano de Zancato, canonico Constantiensi, totum jus et calengium quod ipsa habebat et ad ipsam pertinebat ratione dotis, doerii seu dotalicii a morte prefati Radulphi, quondam mariti sui, et ipsius ratione, videlicet in terris et in aliis immobilibus que fuerunt ipsius Radulphi sitis in parrochia de Chamberton et aliis ubicumque, pro quindecim solidis tur., quos ipsa idemque Firminus, nunc maritus ipsius Emme, confessi sunt se recepisse et habuisse propter hoc ab eodem canonico vel ejus mandato ; et promiserunt iidem Firminus et Emma quod ipsa eorumve quilibet in terris ac immobilibus supradictis non petent aliquid nec exigent per se vel alium in posterum quoquomodo, et quod ipsi et eorum quilibet prefatum canonicum terras et immobilia supradicta, aliumque quemlibet jus aliquod seu causam habentem ibidem ratione ipsius canonici indempnem super hiis modis omnibus observabunt, se quemlibet in solidum heredesque suos bona sua omnia, mobilia et immobilia, dicto canonico propter hoc obligando, volueruntque et concesserunt dicti conjuges de premissis faciendis ac tenendis a nobis moniti viva voce se absque alia monitione a nobis excommunicari ipsisque et eorum quilibet qui contra hoc veniret seu venire contenderet in foro quolibet omnem audientiam denegari, constante nobis summarie eosdem conjuges eorumve quemlibet contra premissa venire vel facere per se vel alium in futurum ; renunciaveruntque super hiis iidem conjuges exceptioni doli mali, fori falsi, constitutioni duorum reorum debendi et promittendi, deceptioni quilibet, privilegio crucis et specialiter dicta uxor beneficio senatus consulti

Velleiensis et aliis universis de premissis faciendis et de non veniendo contra juramento ab unoquoque dictorum conjugum prestito coram nobis ; et nos eosdem conjuges volentes et consentientes quemlibet in solidum ad hoc memorato canonico in testimonio premissorum. Actum et datum Constantiis, anno Domini millesimo ducesimo nonagesimo sexto, die jovis ante festum Purificationis beate Marie Virginis. Qua die dictos conjugues monuimus ut prefertur. Eademque die prefatus Firminus eidem Emme uxori sue auctoritatem ad premissa prestitit cum nobis. Actum ut supra.